

electio facta sine scitu jam nominati comitis, qui eo tempore⁹³⁾ cum exercitu suo civitatem Basileam obsederat, quia longo tempore cum episcopo eorum Hainrico⁹⁴⁾ (quamvis cognatus suus esset) et cum civibus Basiliensibus lites et guerras habuit. Et ibi invenerunt eum ambasiatores⁹⁵⁾, quos electores imperii ad eum miserunt, talem electionem ei verbis et in scriptis notum facerent et certificarent eique eorum obedientiam et bonam fortunam exoptarent. Cum autem hoc ex improvise percepisset, oculos levans in celum, deo gratias agens et statim solvens obsidionem cum uxore, filiis et filiabus ad Renum perrexit et cum eis primo Reinfeldiam⁹⁶⁾ veniebat, ubi cives eum quasi regem cum magno gaudio receperunt, castrum atque castellum sibi libere tradiderunt. Similiter fecerunt Loffenberg⁹⁷⁾, Seckingen⁹⁸⁾ et alii, quamquam episcopus Basiliensis eos sibi per obsidionem subiugaverat et retinuerat. Qui etiam usque huc ei obedientiam cum juramento prestiterunt et comitem, in quantum poterant, inpuerunt. De hac mutacione dominus episcopus tantum doluit, quod, ut dicebatur, mortis periculum incurrebat. Postea venit Basileam, cum quibus reconciliatus, qui illi non minus eum laudabiliter et summo honore receperunt atque omnia necessaria ministrabant. Tunc omnibus suis mandavit pacem et concordiam cum omnibus habere et omnes captivos restituere pristinae libertati. His auditis atque visis domini ad invicem loquebantur: Vivat rex! Postea sibi honorem regiam tribuebant. Descendit et in Argentinam et alias Renu civitates et hec omnes eum honorifice receperunt. Multi nobiles terre regem comitabantur¹⁾ atque sequebantur, ut interesse possent dignitati et ut viderent eum in trono regio residentem. Apropinquante vero eo civitati, que dicitur Aquisgrani⁹⁹⁾, venerunt^{m)} duces, comites, barones et alii nobiles terre cum famulis suis, quod de hominum multitudine omnes generaliter mirabantur. Coronacio ista prospere et cum magna pompa successit anno

fol. 179v

1) Hs. commitabantur

m) venerunt in der Hs. zweimal geschrieben

⁹³⁾ Sept. 1273.

⁹⁴⁾ Heinrich von Neuenburg 1262—1274. Er war ein Onkel Graf Rudolfs IV. von Habsburg.

⁹⁵⁾ Nach dem 11. 9. 1273 wird Burggraf Friedrich von Nürnberg von den zu Bacharach versammelten Kurfürsten nach Basel gesandt, wo er am den 20. 9. eintraf, um Rudolf die Krone anzubieten. Am 22. 9. wird der Waffenstillstand mit dem Bischof von Basel geschlossen.

⁹⁶⁾ Rheinfelden am Hochrhein.

⁹⁷⁾ Laufenburg gegenüber Säckingen/Hochrhein.

⁹⁸⁾ Säckingen, urkd. Seckingen 1270.

⁹⁹⁾ Aachen.